

dicendum ei, quod dixit Christus Dominus Petro in simili negotio: *Vade retro post me, Satana, non sapiis ea, quæ Dei sunt.*

VII. Producit quoque Eliam, id est, zelum et fervorem indiscretum (Elias enim zelo Dei ardentissimo commendatur) quo incitat potissimum incipientes, ut vitæ sanctæ asperitate, difficultate et tædio victi resiliant et ad pristinam vitæ licentiam redeant. In hunc finem dæmon, ut docet S. Antonius, apud Athan. excitat dormientes ad orandum, ut somnum corpori necessarium eripiant; ingerit peccata pristina, indeque incitat ad indiscreta jejunia et pœnitentias, quibus animum et corpus enervent. Hinc quemadmodum iter longum suscipientes, si primo die nimium festinant, vel se vel jumentum conficiunt lassitudine, ut progredi deinde nequeant; ita hujusmodi zelotes cibo delassantur in perfectionis studio.

VIII. Moysen denique refert, hoc est, mitem se (quo nomine potissimum Moysen commendatum legimus) et pacificum exhibet, dum multoties pacem dat tentatis: imo victum se et mortuum ad instar vulpis simulat, ut incautos et securos rursum adoriatur. *Mare si tranquillum in portu a cursu stabit et murmuraverit intra se, ventum prædicat,* ait Plinius, l. VIII. cap. XXXV. Hinc Siculus quidam, cum ficos vehens, procella correptus naufragium fecisset, ac mox sedens in littore, mare tranquillum videret, urbane inquit ad mare: *Novi quid velit; ficos nimirum,* Bruson. l. IV. c. XXV. Sic et tu cum post pugnam videris quiescere dæmonem, noli ei fidere; novas quippe insidias tibi machinatur. Cum enim se tranquillum monstrat, præsertim si prius victus est, tunc murmurat intra se et cogitat de ultione et reditu fortiore cum septem aliis spiritibus se nequioribus. Suspecta ergo debet esse Dei servis ejusmodi insueta pax et tranquillitas. Sic legimus, Jud. XVIII. sexcentos viros Danitas venisse in Lais ad populum quiescentem atque securum, hoc est, ob longam pacem ad bella imparatum, et percussisse eos in ore gladii et urbem incendio tradidisse, nullo penitus ferente præsidium, eo quod cum nullo hominum haberent quidquam societatis aut negotii. Videat ergo unusquisque, ne otio se tradat et præsidii se destituat. Quin potius vigilet super se, quemadmodum civitates solent hostibus vicinæ, licet hostes illos non videant in armis. Ad hæc inerat fœdus et societatem cum angelo custode, sanctis, confessario, libris piis, frequenti confessione et communione, etc. Ita David non fidebat Sauli, sibi reconciliato domum abeunti, sed ascendit in tutiora loca, II. Reg. XXIV. noverat

enim inconstantem ejus animum. Quando ergo zizania a tritico dignoscere didicimus, adeoque inimicum hominem, seminatore pessimum; superest, ut vigilemus et fraudes ejus quamprimum detegamus; dicamusque cum hædo illo ad caprisantem lupum: *Tametsi vas caprisat, ego tamen per rimam lupum video.*

CONCIO II.

BONA COELESTIA, QUÆ DEUS OFFERT QUALIA

I. Sunt vera ac solida. — II. Pura et sincera. — III. Secura et stabilia. — IV. Perfecta et completa. — V. Reipsa exhibentur. — VI. Vili emuntur

THEMA.

Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Vidimus ante octiduum mercimonium diaboli, propositum vænale in monte excelso valde, et examinavimus ejus merces, sed eas non modo multis modis invenimus depravatas, verum etiam nimium quantum caras. Hodierno die Christus suam officinam aperit et bona sua cœlestia vænalia proponit, nemini non spectanda, et quidem in monte itidem excelso. Examinemus ergo nunc merces Christi, et si placuerint, emamus.

Cœlestia illa bona, quæ præparaverit Deus diligentibus se, depingit Isaias, c. XXV. specie convivii omnibus bonis instructi. *Faciet Dominus exercituum, inquit, omnibus populis in monte hoc convivium pinguium; convivium vindemiæ; convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Quibus verbis exponitur, qualia sint bona, quæ proponit nobis Christus emenda et possidenda.

I. Bona cœlestia sunt bona vera ac solida, uti ostendit hodierna transfiguratio, quæ nequam fuit phantastica aut somnium (quemadmodum representatio regnorum mundi Christo objecta a diabolo, fictitia fuit) quia non dormientes, sed de somno evigilantes eam viderunt discipuli, ut ait Lucas. Ad hæc viso Christi splendore, et audita Patris voce consternati ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde. Unde S. Petrus, epist. II. c. I. veritati hujus visionis testimonium præbens asserit: *Non enim doctas fabulas seculi, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, etc. et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, etc.* Quod vero bona, quæ ibidem vidit et gustavit cum sociis Petrus, solida fuerint,

colligi ex eo potest, quod ibidem permanere semper voluit: *Domine, inquit, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, etc.* q. d. Domine, ne patiaris nos hinc abire, jucundum est hic esse. Nullum est mundi bonum, in quo constantem et solidam delectationem ac quietem invenire possit homo. Inde nullo loco consistit, nulla re contentus est, sed quod hodie amavit, cras odit et fastidit, semperque aliud et aliud quærit. Unde S. Bernardus, serm. I. de adventu, homines qui omissis veris et salutaribus studiis, caduca potus et transitoria quærent, ait similes esse his, qui mersi periclitantur in aquis. « Videas enim eos, inquit, tenentes tenere, nec ulla ratione deserere, quod primum occurrerit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit aliquid, quod omnino prodesse non possit, ut sunt radices herbarum cæteraquesimilia. Sic pereunt in hoc mari magno et spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere et salvare possent animas suas. » Prorsus sicut tempore diluvii homines varias quærebant effugia, et si in tecta ascendebant, inde vi aquarum pulsati in arborum cacumina se receperunt; unde rursum abacti, ad colles et montes enatarunt; nullibi tamen persistere potuerunt. Ibi qui in altissimam turrim vel montem se receperunt, putabant initio se tutos esse, bonum esse ibi manere, sed paulo post adsurgente aqua etiam ibi timere cœperunt, aliumque locum quæsiverunt, nullibi tamen asylum repererunt: quia nimirum ad arcam, in qua sola erat securitas, se non receperunt: at nulla in mundo soliditas, ubi pes figi secure possit; solo in cœlo et cœlestibus bonis invenitur.

Hinc bene Isaias ea bona vocavit convivium, non utique dictum aut fictum, quale Heliogabalus imperator fertur apposuisse suis convivis, sed verum, pinguium item epularum et medullatarum seu lectissimarum; non ossearum et aridarum, quas dum rodit homo, fatigatur, et interim famelicus permanet, nihilque solidæ nutritionis ac gustus percipit ejusmodi sunt bona mundi.

II. Sunt pura et sincera, nullis permixta malis, curis, periculis, laboribus. Idcirco in monte excelso voluit Dominus ostendere gloriam suam, quia montes prælati, uti Olympus, liberi sunt a tempestatibus, ita ut litteræ in Olympi vertice, pulvere inscriptæ, volvente anno reperiantur integre, teste Solino; deinde purissimum adeoque saluberrimum alunt aerem. Ejusmodi autem vitæ tranquillitas et voluptatum puritas in cœlo invenitur, sub luna nullibi est, sed ubique in

mundo tempestates, ubique curæ, pericula et labores. In puro cœli aere perpetua sanitas, voluptas, pax, abundantia, gloria et vita.

Hoc idem expressit Isaias, cum convivium cœleste dixit fore vindemiæ defæcatæ, hoc est, vini clarissimi adeoque saluberrimi; constat enim vina fæculenta, uti mustum, insalubria esse. Bona terrena mustum sunt seu vinum turbidum, quod licet suave sit, noxios tamen post se relinquit effectus. In cujus rei significationem pincerna Pharaonis videbatur sibi per somnium, exprimere manu sua uvam in craterem sui regis, quo significabatur eum Pharaoni, ut antea solebat, poculum ministraturum, Gen. XL. Erat ergo vinum illud recens expressum non nisi mustum fæculentum, et significabat ipsas etiam regum delicias perturbatas esse, mixtasque doloribus, periculis, curis et timoribus. Romani imperatores et consules in mediis triumphis et summis honoribus convicia audire debebant seu insultatorias cantiones. Talis erat illa in Julium Cæsarem triumphantem: *Urbani, servate uxores: mæchum calvum adducimus;* et illa in Ventidium Bassum: *Qui fricabat mulos, consul factus est,* adeo nullum in mundo gaudium purum. Non sunt talia bona cœlestia, sed vina defæcata. Unde mox explicans subdit Isaias: *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati, id est, flagella et miserias ex peccato originali in humanum genus invectas: Et telam quam orditus est, id est, decretum mortis, super omnes nationes, scilicet positum.* Unde sequitur: *Præcipitabit mortem in sempiternum et aufert Dominus Deus lacrymam ab omni facie, etc.* Ægyptii in conviviis cranium hominis mortui ponebant, ut se invicem monerent moriendum sibi esse. Sed ibi Deus præcipitabit mortem et flagella omnia quibus hic castigamur. Quod idem S. Joannes, Apoc. XXI. edixit inquit: *Absterget omnem lacrymam ab oculis eorum et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Ecce vincula mortalium, quibus in hoc mundi carcere ligantur, in cœlo vero exuentur.

III. Sunt secura et stabilia per omnem æternitatem. Ad hoc significandum dicitur transfiguratio facta seorsum, hoc est, in loco abdito et securo, quo nemo facile solet accedere. Bona ergo cœli seorsum sunt, quia reposita loco utique reconditissimo et securissimo, in quo solo thesaurizare jubet Dominus, quia nec fures ibi effodiunt, nec tinea demolitur.

Idem insinuavit Isaias, cum dixit Dominum exercituum (qui nimirum omnibus imperat et omnes coeret hostes) præparasse electis convivium medullatorum. Ut enim medulla in ossa

latet undique firmiter clausa: ita cœlestes deliciae cœli vallo ambiuntur, ut nullum esse periculum possit, eas amittendi, quia non potest esse periculum peccandi. Et hæc est illa medulla et pars delicatissima, quam elegit Magdalena, de qua Dominus: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Luc. X. Eligunt sibi alii divitias: sed quam cito eas aufert fur, incendium aliudve infortunium? Alius eligit honores aut voluptates: sed quam cito hæc perduntur? Alius eligit scientias, quæ quidem durabiliores sunt, sed morte saltem tolluntur. Sola et optima bona sunt cœlestia, quæ nullo infortunio, nulla morte perdi possunt.

IV. Perfecta sunt et ita omnia possidentur, ut nihil præterea appetere electi possint, sed omnes contenti, omnes satiati, imo inebriati sint juxta id Psalm. XXXV. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*. Quemadmodum enim vini valde appetens tum demum plenus est, cum est ebrius; tunc enim non amplius sitit, sed in somnum resolvitur: ita et nos qui beati et saturi omnes esse volumus, in hac autem vita nunquam esse possumus, tum demum satiabimur, cum inebriamur ab ubertate bonorum cœlestium; quia tunc satiatio omni appetitu resolvemur in somnum quietis æternæ. Idem significat torrens voluptatis; ut enim torrens ex ingenti aquarum vi de montibus cadente repente exurgit et omnes circum valles implet atque inundat: ita cœlestium deliciarum affluentia omnem omnino appetitum nostrum uno impetu replebit et inebriabit. Ne vero quis cogitaret delicias illas adinstar torrentis brevi duraturas aut turbidas lutoque mixtas futuras, addidit propheta: *Quoniam apud te est fons vitæ*, perennis scilicet et limpida, quasi dicat: Torrens ille nunquam siccat, quia ex perenni vitæ fonte promanat. Hanc bonorum illorum proprietatem colligere possumus ex S. Petro, qui præ dulcedinis satietate vel potius ebrietate, cibi, somni, patriæ, amicorum sui que ipsius oblitus exclamavit: *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, etc. nesciens quid diceret*, ut ait S. Lucas. Quemadmodum enim homines cum vino se ingurgitant, de potestate mentis dejiciuntur, ut nesciant quid loquantur, omniumque curarum ac rerum amatarum obliviscuntur: ita contigit hic Petro, et similiter in beatis mens a cœlesti illa dulcedine inebriata et absorpta quodammodo deficere videtur. Et vero in præsentia apparitione ideam aliquam cœlestis beatitudinis viderat Petrus; in nube lucida, cœli pulchritudinem; in præsentia Moysis et Eliæ, sanctorum societatem; in aspectu

Christi gloriosi, et auditu vocis paternæ, sensuum oblectationem; in candente Christi veste, dotes corporum gloriosorum; in radiante Christi vultu, visionem beatificam, quid si cœlestem illam dulcedinem ex ipso fonte totam gustasset? Audi Augustinum, soliloq. cap. XXII. « Hanc (dulcedinem) inquit, ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula: hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus: sufficit nobis, Domine, te videre: sufficit, inquit, tanta dulcedine satiari. Unam enim stillam dulcedinis ille gustavit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinem divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te? » Hæc Augustinus. Eandem rem expressit Isaias, cum illam bonorum affluentiam vocavit convivium vindemiæ. Ut enim in convivio vindemiali non tantum vini est abundantia, et quæ inde communiter sequitur, convivarum ebrietas; verum etiam epularum omnis generis copia, quæ potissimum autumnali tempore haberi potest; ita omnibus deliciis affluunt et circumfluunt beatæ illæ mentes.

V. Reipsa exhibentur, non promittuntur aut monstrantur solum. Ut enim Christus, quod paulo ante promiserat discipulis: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo*, Matt. XVI. vere id nunc exhibuit: ita et promissam nobis beatitudinem verissime exhibebit. Viderunt discipuli gloriam magistri sui, et plura quam promissa erant. Viderunt enim Moysen et Eliam, viderunt nubem lucidam sese obumbrantem, audierunt vocem Dei Patris, inebriati sunt dulcedine. Similiter beati multo plura in cœlo percipient bona, quam in terris promiserit illis Christus. Tunc dicent cum regina Saba de Salomonis sapientia exclamante: *Vidi oculis meis et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit, major est sapientia et opera tua, quam rumor, quem audivi*, III. Reg. X. Apud Surium, 5. martii legitur Romanum nuper defunctum D. Thomæ Aquinati apparuisse et de cœlestium bonorum veritate interrogatum respondisse: *Sicut audivimus, sic vidimus*.

Idem ex Isaiâ colligimus, qui rem et locum designans ait: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc, etc.* Non ita diabolus, cum confuse dixit: *Hæc omnia dabo tibi*. Quando, ubi, quomodo dabis, miser, qui non es illarum rerum dominus? At vero Deus est Dominus exercituum.

VI. Vili emuntur pretio, et adeo quidem, ut

nemo sit tam pauper, qui emere ea nequeat, Unde et Isaias dixit, faciendum illud convivium omnibus populis. Sed hac de re audiamus S. Augustinum, in Psal. LCIH. « Vænale est, ait, vænale est, quod habeo. Dicit tibi Deus: Eme illud. Quid habes vænale? Requiem, inquit, vænalem habeo: eme illam; dicit ei quantum valet? Pretium ejus labor est. Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare et verum judicare, æterna requies æterno labore recte emitur. Verum hoc est: sed noli timere, misericors est Deus, si enim haberes æternum laborem, nunquam pervenires ad æternam quietem. Ergo ut aliquando pervenias ad id, quod emis, non in æternum laborandum est; non, quia non valet tanti, sed ut possideatur, quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est ut labore temporali ematur. Decies centena millia annorum habent finem: Quod tibi dabo, dicit Dominus, non habet finem. Qualis misericordia Dei! Nec dicit: Decies centena millia annorum labora, non dicit: Vel mille annos labora, sed cum vivis, inquit, labora in paucis annis: inde jam requies erit, et finem non habebit. » Et paulo post: « Ecce quantum pretium damus: quodammodo unam siliquam ad accipiendum thesauros sempiternos. » Sic August. Conformiter huic discursui scribit evangelista: *Post sex dies* (scilicet a facta promissione de ostendenda a Christo gloria sua) factam esse transfigurationem. Sex dies paucorum annorum laborem, sabbatum, æternam significat requiem. *Sex enim diebus operaberis*, ait Dominus, Exod. XXIII. *septimo die cessabis*. Itaque unusquisque in vocatione sua qua vocatus est, laboret sicut bonus miles et certo coronabitur. Sed forsitan usque in hanc horam parum aut nihil laborasti? Labora saltem nunc, licet undecima vitæ tuæ hora. Sed ais: *Fodere non valeo*, laborare nequeo. Audi ergo rursus Augustinum, in Ps. XLIX. « Regnum Dei, inquit, tantum valet, quantum habes. » Et probat exemplis Scripturæ divinæ. « Quid tam vile, quid tam tenerum, quam frangere panem esurienti? Tanti valet regnum cœlorum. Scriptum est enim: Possidete paratum vobis regnum, esurivi enim, et dedistis mihi panem. Emit vidua duobus minutis, emit Petrus relinquens retia, emit Zacchæus dando dimidium patrimoniæ. » Sed nec ista habeo, ais. Audi iterum Augustinum de verbis Domini, serm. LXIV. cap. II. « Noli querere quid habeas: sed qualis sis. Res ista te valet quantum es tu. Te da, et habebis illam. » Et mox: « Sed malus sum, inquiet, et forte me non accipit. Dando te illi, bonus eris. » Certe Lazarus mendicus nihil omnino quod daret, habebat, nisi

patientiam in egestate et doloribus; et portatus est ab angelis in sinum Abrahamæ. Et bonus latro præter unam vocem nihil prorsus suum et liberum habebat; dedit ergo vocem: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum*, et mercatus est paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso*. Et pauper ille servulus Romanus mendicus, qui nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare; os tantum solutum habebat ad gratiarum actionem et hymnos Deo canendos in dolore suo: dedit igitur os, dedit hymnos, et meruit audire moriens angelos psallentes, et cum eorum hymnis ad cœlum evolare, ut testatur S. Greg. hom. XV. in evang. Quæ cum ita sint, vide nunc quid agas, a quo mercatore emas. Quid tibi cum mercibus diaboli?

Ergo imitare negotiatorem illum evangelicum qui inventa una pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit et emit eam. Invenimus, deprehendimus margaritam: vide tu ut emas, licet omnibus tuis venditis. Nam ut Augustinus ait in manuali: « Omnia si oporteret nos quotidie tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus et sanctis ejus sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes habeamus? Insidientur ergo demones, parent suas tentationes frangant corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labores gravent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet etiam ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, pectus ardeat, corpus doleat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totus, deficiat in dolore vita mea et anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum. » Hoc ille; quod nobis largiatur in cœlo, qui hæc bona nobis vænum exhibet in terra.

CONCIO III.

QUARE CHRISTUS TRANSFIGURARI VOLUERIT.

I. Ut fidem resurrectionis in nobis firmaret. — II. Ut spem nostram erigeret. — III. Ut charitatem in nobis accenderet. — IV. Ut Ecclesiam solaretur. — V. Ut factus, quis esset, ostenderet. — VI. Ut doceret contemptum mundi. — VII. Ut corpori suo solemnitate exhiberet, longe tamen aliam a bacchanalibus mundi.

THEMA.

Transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Quemadmodum nihil sine magnis causis ma-

gnaque sapientia fecit Christus, ita libentissime etiam tulit ut interrogaretur, ob quam causam hoc vel illud faceret. Idecirco enim Joan. XVI. culpat discipulos, quod non interrogarent eum quo iret: *Vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Ne ergo hoc nobis etiam dicere possit: Interrogemus eum, cur hodie præter morem tam gloriosus et decorus voluerit apparere. Cum enim ipse sit, qui seipsum exinanivit, ut testatur Paulus ad Philipp. II. quomodo se exinanivit seu omni gloria exiit, si gloriam hodie induit? Deinde nonne Christus gloriam hominum semper fugit? Nonne Joannis VI. ne rex crearetur, in montem fugit? Denique si Ezechias a Domino arguitur, quod legatis regis Babylonis, gloriam et divitias suas ostenderit, IV. Reg. XX. cur ergo hodie Christus gloriam suam ostendit? Non caret hæc res mysteriis, nec absque causis gesta est, ut videbimus.

I. Transfiguratus est, ut fidem in nobis confirmaret resurrectionis et promissæ gloriæ. Dixerat Dominus, Matth. XIII. rem sane mirabilem et difficilem, nimirum: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Et alibi similia multa. Quis hic non obstupescat? Quomodo enim corpus terrenum et densum, grave et tardum, obscurum et tenebrosum, fragile et corruptibile solis subtilitatem, pernicitatem, claritatem, et incorruptionem induere et adipisci queat? En igitur specimen hujus possibilitatis; Christi enim corpus, nostro per omnia simile, fulget hodie ut sol. Quis crederet, ex veteribus, laceris et obsoletis pannis fieri candidissimam papyrum? Sed si ingrediamur molendinum papyrarii, videamusque qua ratione ibidem multis tusionibus et modis exagitati centones tandem in papyrum formentur, tunc demum fidem præbemus. Ita quoque cum difficillimum esset credere mortale hoc induere immortalitatem posse: ideo Christus familiares suos induxit in molendinum, in montem excelsum seorsim, ubi suorum vestimentorum papyrum candidissimam eis ostendit, (alba enim erant sicut nix) faciem vero instar solis rutilantem. Viden ergo quomodo vilis et obsoleta Christi vestis in papyrum, facies ejus in solis splendorem versa est? Ejusmodi signa ostendit Deum populo Hebræorum, quod eum ex Ægyptiaca servitute in terram bonam et spatiosam, fluentem lacte et melle educere vellet ac posset, Exod. IV. Cum enim objiceret Moyses, non crediturum hoc sibi populum Hebræorum, jussit eum educere manum e sinu: quo facto leprosam invenit Moyses moxque repositam in sinu iterum jussit educere; paruit Moyses mundam ac sanam instar reliquæ

carnis. Manus leprosa erat gens Hebræorum, dum sub Pharaonis jugo degeret, utpote durissimis et sordidissimis luti operibus conspurcata; mundissima vero et sanissima, ubi terram promissam tenuit: id quod revera futurum hoc symbolo ei persuasum est. Simili ratione hodie Dominus Deus persuasurus nobis corporum nostrorum immutationem, de corruptione ad incorruptionem, de ignominia ad gloriam, ostendit nobis hodie manum suam, id est Christum, quam ad nos de alto emisit juxta Psal. CXLIII. *Emitte manum tuam de alto et eripe me;* sed altera specie. Prius enim quando eam primo de sinu suo extractam ad nos misit, servili forma et mortali carne præditam, postea in cruce quasi leprosam ostendit, Isa. LXIII. sed hodie hanc manum e sinu iterum extraxit: et ecce gloriosam ostendit ac splendidam. Quod igitur in manu sua Christo ostendit Deus, id in nobis se completurum insinuavit.

II. Ut spem nostram erigeret, adeoque nos ad laborandum animaret. Hanc causam prævidit Job, c. XXXVI. dicens: *In manibus abscondit lucem et præcipit ei ut rursus adveniat;* (ad instar illius animalis apud Salmeronem, tom. de infantia Christi, quod in fronte gerit carbunculum, seu gemmam splendidissimam, pelle tamen seu palpebris cunctam, quam detegit cum vult: detecta noctu clarissimos emittit radios.) Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Præclara hujus rei figura habetur, Num. XIII. ubi cum diffideret populus Hebræorum de obtentione terræ promissæ, jamque fatigatus regredi, cogitaret in Ægyptum misit Moyses Dei jussu exploratores in terram illam, qui ad contestandum, quod terra illa optima esset flueretque lacte et melle, abscederunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt duo viri in veete, ut ejus conspectu accenderentur ad progrediendum fortiter. Consimili ratione Deus nobis aliquam supernæ patriæ speciem ostensurus, nosque ut eo alacrius tenderemus, accensurus, attulit nobis hodie et monstravit botrum illum, de quo Cantic. I. sponsa ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi,* siquidem hæc Christi gloria non erat de hoc mundo, sed de cælo, per duos illos testes Moysen et Eliam nobis allata. Quod si talis ac tantus erat hic botrus, ut Petrus solo ejus aspectu quodammodo inebriatus, exclamarit: Bonum est nos hic esse, etc. nesciens quid diceret, ut ait Lucas; quantæ erunt reliquæ illius terræ suavitates et divitiæ? Et proinde quis non resumat animum ad quævis aspera exantlanda, pro earum acquisitione, quomodo visa pulchritudine Judith dixerunt ad Holofernem sa-

tellites ejus: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?* Judith. X. Et tamen nunquam totam gloriam suam, sed humanitatis tantum suæ decorem soliusque corporis ostendit Christus: quid erit videre totam ejus majestatem. Sic mater monstrat filio in manu sua auream bullam, sed ex parte tantum, quo persuadeat filio ut eat ad scholam et studeat, etc. Caius Marius cum Cimbris prælium initurus, singulari industria ibi castra e regione hostium metabatur, ubi nullæ erant aquæ. Animadvertens enim plerosque indignari, quod siti affligerentur, sublato digito, eminus fluvium castra hostium præterlabentem ostendit, adjiciens ut qui sitiret et sedaresitim cuperet, illic iret ad aquatum: volens per hoc eos ad pugnam animare. Refert Maiolus, tom. III. canicul. colloqu. II. Simili ratione exercitaturus nos ad spiritualem pugnam Deus, monstrat nobis hodie fluvium uberrimum et suavissimum, Christum; sed ubi? In monte Thabor, cæli typo. Non habemus hic quo sitim nostram extinguamus; in cælo solum reperitur. En hodie fluvium, Christum, qui clamavit Joannis cap. VII. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Hujus aquæ suavitate quasi inebriatus Petrus cupit ibi æternum manere, tametsi eam a longe et quasi per rimulam tantum vidit. Sed penetrandum est per hostium cuneos ad hunc fluvium et deliciarum fontem, ascendendum est in montem. Hac eadem suavitate illectus Moyses grandis factus negavit se esse filium filię Pharaonis, ait Paulus ad Hebræos XI. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: aspiciebat enim in remunerationem.*

III. Ut in nobis inflammaret amorem sui ac cælestium honorum. Non solent principes se ornare ut placeant ancillis, sed contra gynæceum se adornat ut placeat principi. Hic vero sponsus animarum nostrarum Christus splendidissimum se Ecclesiæ sponsæ suæ ostendit, ut eam ad amorem et connubium suum alliciat, quod indicat David, Psalm. XVIII. cum ait: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Non est stabile nec jucundum illud matrimonium, quo alter conjugum timore compellitur ad nuptias. Hinc Christus cum posset nos pœnarum infernalium ostensione ad suas nuptias impellere, potius id per gloriæ suæ manifestationem facere voluit, ut per mutuum amorem stabile et acceptum fieret illud matrimonium. Et cur existimatis Deum, cælos omnes mediaque elementa ignis et aeris pellucida fecisse, ita ut stellas ex octavo cælo aspicere possimus, infernum contra nobis occultasse media aquæ et

terræ densitate et obscuritate? Profecto ut aspectu cæli per cælestium potius honorum amorem, quam per infernalium pœnarum timorem, ad Dei servitium et amorem excitemur: atque adeo ut simus filii, non servi qui terrore compelli debent. Quis autem videns Christum talem ac tantum, non tam nobilem et splendidum, amore nostri tanto itinere ad nos de cælo venisse, non amandum esse perspiciat?

IV. Ut Ecclesiam suam solaretur et ab opprobriis liberaret. Nam si Christus gloriam suam nunquam ostendisset, poterant infideles Ecclesiæ illudere, quod ei adhæreret, quem aliter non vidisset, nisi *despectum et novissimum virorum.* Ut enim illi puellæ, quæ se despondisset peregrino et ignoto maleque vestito, passim diceretur: Misera quid fecisti, quod nupseris illi, cujus parentelam, cujus opes non vidisti? Ecce merito delusa es. Ita facturi fuissent infideles Ecclesiæ. Jam vero si puella illa mittat legatos aliquos, qui sponsi sui explorent opes et nobilitatem, deque his per illos certificetur, maximum sentiet solatium, nec audiet deinceps, quod malum sponsum sortita sit. Habet Ecclesia tres apostolos, qui sponsi sui gloriam spectarunt: itaque horum testimonio suum sique sponsi honorem tueri facile potest. Qua de re scribit Petrus legatorum princeps, epist. II. cap. I. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis, etc. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Nos prædicamus Christum crucifixum,* ait Paulus, I. Cor. I. *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Sed si Christus crucifixus est in monte Calvariæ, in monte Thabor glorificatus est: si ibi inter duos latrones visus, hic inter Moysen et Eliam summos duces: si ibi consputus et lividus, hic respendit plusquam sol: si ibi nudus et totus sanguine respersus, hic vestimentis ornatus plusquam niveis: si ibi opprobria et impropria audivit, hic a Patre audiit Filius: si ibi aer tenebris quasi lugubri indutus habitu, hic nubes adfuit lucida et serena. In hujus rei figuram, cum orta esset seditio et murmur a Core asseclis, Num. XVII. contententibus cum Aarone de summo sacerdotio, fecit Deus florere virgam Aaronis, præ aliis aliorum virgis, ut intelligerent Aarone summum sacerdotium deberi et non alteri. Ita enim certabant et Judæi, num Christus esset Deus et Messias: ad compescendam ergo hanc litem admodum congruebat, ut humanitas Christi floreret et gloriam suam ostenderet.

V. Ut facto ipso, non verbo quis esset ostend-